

ὄρκια πιστὰ nominat agnos, qui erant mactandi in signum foederis.¹³⁰ Admittimus igitur libenter vnionem sacramentalem recentiorum, sed eam recte intelligi et caute vsurpari volumus. Neque enim aliqua σύζευξις geminae substantiae, quacunque sane ratione id fiat, constituitur, sed hac propositione „panis est corpus“ solum significatur relatio, quae est inter panem, qui est signum, et inter corpus Christi, quod est res signata. Et fatemur recte dictum esse ab antiquitate: „Panis est symbolum τοῦ ὄντος σώματος“,¹³¹ videlicet contra Eutychem, vt extet testimonium, haec symbola non esse nuda et vacua signa, sed symbola etiam corporis Christi, quod reuera adhuc superstes est, et cum quo [36:] vera et realis in hac actione contrahitur societas. In definitione tradita restat explicanda particula de fine huius sumptionis. Ostensum est supra formam et finem primum esse κοινωσίαν vel consociationem Christi cum piis, cuius foederis pignus est ista sumptio. Sed nequaquam vult nos esse κῶφα πρόσωπα in hac actione. Ideo verba institutionis dicunt haec omnia fieri in Christi commemorationem. Vult Filius Dei hoc modo notitiam sui in genere humano conseruari et propagari, hoc modo aeternam sibi colligere ecclesiam, quae ipsum vere agnoscat et inuocet. Sumentem igitur fide accedere oportet ad Deum, vere statuere sibi remitti peccata, reconciliari se Deo propter hanc victimam, scilicet propter mortem Filij, cuius corpus pro nobis traditum est, et sanguis effusus in remissionem peccatorum, et simul dato Spiritu sancto ipsum in nobis deinceps velle esse efficacem, nos gestare et seruare, ne recidamus in aeternam mortem et damnationem, perinde sicut λόγος suam massam humanam seruat non redigatur in nihilum. Haec bona vult celebrari et praedicari. Ardeat igitur in sumente fides, petens et expectans fiducia mediatoris, cum quo percutitur hoc foedus, remissionem peccatorum, inchoationem nouae et aeternae vitae, denique alia bona corporalia et aeterna secundum promissiones. His gemitibus misceatur gratiarum actio, sicut dulcissime veteres dixerunt, esse memoriam dati et accepti pro omnibus beneficiis sicut quidam vetus canon continet recitationem beneficiorum Dei in creatione et redemptione inde vsque a condito mundo.

Deinde concurrunt alij fines inferiores: Haec communis coena proprie instituta est, vt sit neruus publicae congregationis.¹³² Vult Deus vocem suam de Filio innotescere et exaudiri. Ideo instituit publicum ministerium. Vinculum autem optimum publici conuentus est haec coena, in qua tanquam in communi mensa initur societas cum Deo et mutuo inter conuictores, sicut dicitur: „Vnus panis et vnum corpus multi sumus.“¹³³ Quare maxime admoneat nos iste pa-[37:]stus de mutua dilectione et meminimus conuiuas nos esse

¹³⁰ Vgl. Homer, Ilias III, 256, in: van Thiel, Ilias, 55.

¹³¹ Vgl. etwa Theodoret, Eranistes II, in: PG 83, 165 (Ettlenger, 151,14–26).

¹³² Vgl. Philipp Melancthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 862 (MWA 2/2, 520, 15f).

¹³³ I Kor 10,17.